



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm  
Miracvlorvm Libri II**

**Petrus <Cluny, Abt>**

**Coloniæ, 1611**

IV. De obitu fratris cuiusdam, & ad ultimum facta confessione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)



adhuc exemplo monstrare curabo.

*De obitu fratris cuiusdam & ad vltimum facta confessione.*

CAPVT IV.

**A**D monasterium sancti Ioannis Angeliacensis, quod in Xantonensi pago situm est, presbyter quidam Gilbertus nomine ad conuersionem venit, atque ibi per aliquantum temporis quoad vixit, deuotè conuersatus est. Contigit autem non multo temporaliter elapso, eum ex infirmitate quã incurrerat ad extrema venire. Cumque sicut mos christianorum est, & maximè monachorum in substrato cilicio & cinere, à fratribus compositus iaceret, atque horam vocationis suæ expectaret, fratres monasterij vt eius exitum orationibus commendarent venerunt, & eum vndique psallendo circumsteterunt. Qui cum vt defungeretur expectarent, ecce subito resumpto spiritu & apertis oculis, acclamare coepit professionem fidei quæ quotidie decantatur, hoc est, quicumque vult saluus esse, & cætera. Et cum prius idiota & imperitus litera-

cum

2000



rum fuisse ab omnibus agnosceretur, ita distinctè & apertè singula proferbat, vt à nescientibus si fortè adessent, peritissimus in talibus extitisse crederetur. Qua de causa omnes qui astabant stupefacti, euentum rei admirabantur. Qui cùm diu admirantes hæssissent, tandem Prior Gregorius nomine, cui præ ceteris hoc incumbebat, vir bonæ religionis intelligens eum aliquid in occulto vidisse, ad eum se inclinavit, & quæ causa clamoris esset, vel si quicquam quod eos lateret vidisset, iaterrogauit. Ad quod ille. Vidi (ait) personam reuerendæ formæ, candidi habitus & venerandæ caniciei, paulò ante vas cum aqua afferre, mihiq̃ dicere. Noueris causam aduentus mei ad te hanc esse, vt pedes tuos qui inquinati sunt abluam, & eis ablutis totum te mundatum reddam. Cumq̃ue admirari me super his quæ dicebat cerneret, adiecit. Non nosti (ait) ad purgationem tui hanc aquam esse necessariam, qui tale quod ipse nosti crimen commisisti, quòd de industria cælans, nulli hæctenus reuclare voluisti? Vnde scias te nullatenus posse saluari, nisi



nisi quod perniciosè cælaueras, salubriter studeas confitendo manifestare. Deus verò multa sua misericordia, neque pro tanto etiam reatu te perire permittens, ad sensus corporeos te redire permittit: vt de tanto crimine confitendo pœnitere, & pœnitendo salutem consequi merearis. Hac igitur de causa & à vobis absui, & ad vos redire permissus sum. His ita dictis alijs remotis Priorem aduocans, peccatum illud ei confessus est. A quo huius & omnium peccatorum suorum absolutione suscepta sequenti die, prima hora diei, astantibus & orantibus fratribus, læto vultu, bono fine quieuit. Hoc non ab alio, sed à monacho eiusdem monasterij, Lecto nomine, qui hæc omnia viderat & audierat, agnoui. Hic enim postea Cluniacum gratia deuotionis veniens, scriptor noster & filius in Christo charissimus fuit.

(\*)

Dial.